

† A. R. P. Paulinus Bacáicoa Turiso.

(Prov. Hispan.)

Die 26 decembris a. 1924 cum prima diei luce, Deo et Congregationi fidelis, supremum diem obiit A. R. P. Turiso, Rector domus Matritensis de perpetuo succursu, quae provinciae caput est, annum agens 42, oblationis 25.



P. Turiso die 22 iunii a. 1882 in pago Santa Cruz de Campezu provinciae Victoriae natus est. Iam decennis iuvenatum provinciae Spinensem ingressus est, ubi pater eius grato animo opem domui praebuit manu et arte plurimam. Cum die 25 martii 1899 vota professus esset, philosophiae et theologiae scholasticae in studentatu Asturicensi operam dedit, ubi S. Thomae sententias imprimis defendit, praeterquam si de laudibus Beatae Virginis agebatur; tum enim piaee propositioni pro aris et focus adhaerebat.

Iam in studentatu, qui futurus esset, clare videbatur. Mens sana in corpore sano, non infacetus et valde litteratus, statura procera eminebat atque egregia forma; ingenio acerrimus, sensibus etiam acutissimus; his accessit vox amplissima, ad gratissimum quemque sonum inflexa. Denique propositi animique tenacissimus ab incepto propositoque non cessabat, donec tandem illud opere completeret. Quae pia devotionis opera apud nos tradita tenentur, religiose custodiebat, et quidquid praeterea ipse sibi imposuerat, fideliter servavit nihil detrahens.

Sacerdos die 26 martii 1905 factus philosophiae lector creatus est ac deinde S. Scripturae. Quo in munere ingenii acumen ostendit, cum discipulorum dubia ac difficultates, saepe haud leves et sane multas, non multo negotio solvere numquam gravaretur. Verum ab exordio studiorum omnibus notum erat P. Turiso ad publice dicendum potius fore aptissimum, quare etiam in lectoratu saepe ad contiones habendas mittebatur, quo factum est, ut integrum S. Scripturae curriculum non percurreret. Itaque lectoratu dimisso ad missiones transiit.

Longum esset enumerare urbes et regiones, quas sive missionibus sive aliis praedicandi verbi divini occasionibus peragravit. Ubi enim apparuit, magnum sui nomen reliquit, ita ut iterum atque iterum eius reditus postularetur. Oratoria laude floruit quam maxime. Vir quidam e clero doctissimus inter optimos Hispaniae nostri temporis oratores eum unum existisse aiebat, quo nemo fere esset luculentior, nec vi dialectica fortior. Alius vero oratorum se nullum vidisse testatus est, cui natura, quod ad eloquendum confert, plenioribus manibus praebuisset. Sed quia nemo ab

initio perfectus est, etiam P. Turiso a dicendi genere academiam tantillum redolenti, quo primis annis aliquantum usus est, mox vir factus temperavit.

Ab anno 1921 communitalis S. Michaelis Matriti Rector creatus est. Sed quamquam grave munus iam fractis viribus suscepit, tamen ab apostolico labore nihil remisit. Litteratis et illitteratis debitorem se confitens, cum festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. ad academiam iuris peritorum contionem habuisset, qua laudem maximam meruerat, nihil iucundius habuit, quam ut in suburbio in missione operariis verbum Dei praedicaret dicens malle se Iesum Crucifixum in oppidulo aliquo praedicare quam in celeberrima cathedrali Parisiensi (*Notre Dame*) tantorum oratorum laude notissima.

Mense iunio a. 1924, quod rebus gerendis erat idoneus et magna animi vi atque integritate pollebat, alteri domui Matritensi B. M. V. de perpetuo succursu praefectus est. Sed ingravescente infirmitate, quae quidem erat ad mortem, statim post munus initum virium reficiendarum causa aërem salubriorem petiit, et cum viribus, ut videbatur, restitutis revertisset et gubernacula tractanda suscepisset, morbo correptus est, qui iam diu laturat. At infirmior in dies valetudo non impedivit, quin rebus domesticis totum se dederet et contiones singulis sabbatis habendas ipse susciperet.

Quod verbis dicebat, P. Turiso factis non negabat. Quare, cum muneris obeundi causa forma factus esset communitalis ex animo, ita observantiae regulari operam dedit, ut omnibus anteiret exemplo, dicere solitus, si quis infirmam valetudinem ei obiecit: « Liceat aut vitam, aut munus deponere, dummodo, quoad vires suppetunt, muneri adimplendo praesto sim ».

Doctrinae Alphonsianae diffundendae P. Turiso erat studiosissimus multusque in nostrorum libris, maxime S. Doctoris nostri, dilatandis.

Cum renibus graviter laboraret indeque sanguine infecto, artubus tumefactis, cor tantam stragem ferre non posset ac saepe deficeret, tandem lectum petere coactus est, quem cum ferre non posset, duos menses integros in sella paene immotus, at sui compos, quod Beatam Virginem rogaverat, aerumnis et oratione ad mortem se praeparabat. Medicis astantibus quondam dixit: « Mortem non timeo; quodsi mihi hac nocte moriendum esse opinemini, pergratum dixeritis ».

Instante morte accepto de ultimis sacramentis suscipiendis nuntio: « Deo gratias! » dixit et genibus flexis s. viaticum sumpsit, quo facto vota sua religiosa renovavit ac magna vocis commotione et ingenti lacrimarum imbre ad communitatem verba fecit tum sollemnia tum pietate ac veritate plena. Deinde, ne brevissimo quidem temporis spatio sensibus destitutus, per plures dies nihil egit, nisi ut oraret et Dei voluntati in acerbissimis morbi doloribus se commendaret.

Die tandem 26 decembris hora quinta cum dimidia in primo campanae ad salutationem angelicam pulsu obdormivit in Domino et illum, quem, ut ipse dicebat, medici tamquam pila ludentes per manus iactabant, denique in Iesu amplexu requiem aeternam consecutum esse pie credimus.
R. i. p.!